307
A.3241
1509/84.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

BRITISH MUSEUM
30
61
MAR

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS MAXWELL,

HIBERNUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc. Ext.

Nec non

Soc. Reg. Phys. Edin. Soc. Hon.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

80
61
MAR

Fratri ſuo,

Et amico, et dilecto,

ROBERTO MAXWELL,

Juriſconſulto

Dublinienſi;

Amoris fraterni

Teſtimonium,

Hocce Tentamen

Offert

AUCTOR.

30
61
MAR

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

MORBUS, de quo pauca dicere inſtitui, materiem inveſtigationis ampliſſimam ſine dubio praebet; ſed in themate hujuſce generis, tempus omnes minutias tam accurate exquirere, quam natura rei admittere queat, permiſſurum, haud expectandum erit. Igitur generales ſententias, atque praeſertim recentium

celeberrimorum physiologisticorum, quibus exponendo veram morbi naturam causamque maxime sumus devincti, colligere sufficiat.

Ictерus hodie saepius appellatus, diversis aliis appellationibus antiquis cognitus fuit; praesertim ex specie quae in corpore humano adsumpsit, morbus Regius, morbus Arquatus, Aurigo, &c. nominatus *.

Hic morbus qui ex jecore et appendentibus originem ducit, effectibus ubique in corporis superficiem, quodam flavo colore cernendis, fere dignoscitur: Qua ex re, in circuitu fluidos bili praeter naturam oneratos esse, plane monstran-

tes;

* Derivatur haec denominatio vel ab ἰκτις, *viverra*, cujus oculi tale colore tincti cernuntur; vel ab Ictero, ave nempe illa, quae Germ. Gelb-hammerche vocatur; dicitur etiam aurigo ab auri colore; item morbus Regius.

Junck.

30 61 MAR

tus *. Cauſa cujus revera olim haud recte fuit perſpecta, clare elucidendo palma, ut opinor, iis qui ſyſtema lymphaticum et abſorbens detegerent, debitum eſt.

Jecur cujus ſitus dextro in hypochondrio ſatis cognoſcitur, viſcus deſtinatum ad noxias partes ſanguinis ſecernendos; atque bilem ita ſecretam, nihil aliud eſſe niſi excrementitium et noxium ex corpore inteſtinis exonerandum, olim ratum fuit. Autem, quamvis ex vaſta ſucceſſione

* Flavedo cutis oriri poteſt, vel a bile non, ut ſolet excreta, ſed in vaſa ſanguifera excepta, et inde ſubter cuticulam effuſa; vel a ſero ſanguinis ſaepe flaveſcente, ſubter cuticulam, ut in ecchimoſi, effuſo. In quibuſdam caſibus, an flavedo cutis ab una vel altera illarum cauſarum oriatur, apud medicos non ſemper conſtat; ſed tantum ex prima Icterum genuinum, et ab altera morbum diverſum, quique, quantum fieri poſſit, diſtingui debet, oriri cenſemus.

Syn. Noſ. Meth. Culleni, pag. 299.

ceſſione malorum quae interruptum et retentum corpore ſuperveniunt, verisimilis haec opinio videretur; tamen hanc ſecretionem uſus neceſſarios et utiles oeconomiae praebere, hodie bene notum eſt; hinc mirum et valde rarum ad ſecretionem conſilium. Sanguis, ex quo maxime derivanda cernitur, ex chylopoieticis plerisque abdominalium viſcerum fertur, inde per venam portarum ad jecur miſſus; hoc, arterii munere fungentem, modus circulationis nuſquam alibi corporis cernendus *.

Bilis ita generata, variis ex morbidis cauſis varios morbidos producit effectus; atque inter alios *Icterum*, quem noſter illuſtriſſimus Profeſſor Cullenus

* Hinc, Phyſiologiſtis hunc rarum ſanguinis curſum, ſolum propter ſecretionis cauſam eſſe, ratum fuit. Tamen pori biliarii atque ramuli venae cavae hepaticae, venae portarum et arteriae hepaticae, inter ſe inoſculant, ut injectione probare impoſſibile eſt.

Cullenus inter Impetigines tertio ordine, tertiae claſſis *Cachexia* enumeravit †; atque ſic deſcripſit:

" Flavedo cutis et oculorum; faeces albidae; " urina obſcure rubra, immiſſa colore luteo " tingens."

HISTORIA MORBI.

Morbi haud raro magna varietate, etiamque diverſitate ſymptomatum ſeſe oſtendunt; et auctoribus ſaepe ſeducti ſumus, qui theoria loco veri innixi, morbos majore accuratione et ordine, quam fere appareant, deſcribunt.

Deſcriptio

† Vid. Syn. Noſol. Method.

Deſcriptio ſymptomatum ſemper ſibi conſtantium, et in uniformi ſucceſſu in hoc morbo aegro eſſet aggreſſa; diverſis ex auctoribus ea enumerare, atque in unum conſpectum colligere, mihi ſat erit.

Dum aeger de laſſitudine, inertia, cum oppreſſione dextro in hypochondrio queratur; in oculorum tunicis, unguium radicibus, et in ſcrobiculo cordis, flavus color viſibilis incipit; qui modo augeſcens, per totam corporis ſuperficiem plane viſu fiet; tenſio et anxietas, haud raro cum dolore epigaſtrica regione, praeſertim aucto poſt repletionem, ſentiuntur; appetitus plerumque attenuatus; alvus fere nimis adſtricta; excrementa, non magno cum foetore, cinerea; urina turbida ſedimentum copioſum deponens; guſtus amarus in ore ſentitur *; calor mordax

nares

* Solida praecipue. Vid. Heberden. Med. Tranſ.

naret angit; prurigo omnem superficiem vexat *; cutisque arida, tactui aspera; febrilia symptomata, nausea, et vomitus, saepe singultus, occurrunt; somnolentia interdum et parum somno recreatus; atque multa alia pro re nata, locum obtinent.

Quidam auctores † flavam visionem haud infrequens symptoma esse volunt; dum alii ‡, quibus tale nunquam se obtulit, non solum dubitant, sed posse esse denegant. Quoniam tantum de

* Tum solum evanescente morbo. Stark.

† Hoffman cum aliis.

"Lurida praeterea fiunt quaecunque tuentur arquati."

Lucretius.

‡ Heberden, qui insuper addit; lac Ictericarum non tinctum esse. Sed observavit expertus Home fluorem album, etiamque pus ulcerum nonnunquam tinctum, licet oculi humores evadunt.

de hac re sit certamen, nimis arrogantiae foret me litem componere. Licet mihi tamen recordari, in Regio Nosocomio, sub curatione praestantissimi Medici Doctoris Gregorii, me semel aegrum vidisse, qui rogatus an objecta ei flava apparerint; respondit maxime. Contra, bene sit notum, quod in pessimis hujusce morbi casibus, quum saliva omnesque fere alii humores tincti fuerunt, nullum tamen tale obtinuit. Si semel probatum foret, quod humores oculi unquam tincti percipiebantur, tunc auctoribus qui aiunt fere occurrendum esse, fides daretur *.

Quibusdam in casibus, inveterascente morbo, alia, magisque gravia symptomata, praeter haec jam enumerata occurrunt. Ardens interdum febris,

* Experimentis illustrissimi Monro apparet, Rubiam tinc. animalibus datam, tincturam nec corneae, nec oculi humoribus non impertire; dum omnes alias corporis partes, miro modo, pervadit.

bris, etiam delirio inſequitur; angens capitis dolor atque ſpirandi difficultas; magna praecordiorum oppreſſio; flatibus inteſtinorum; dolorque excrucians et tenſio dextro in hypochondrio, nonnunquam ad humerum dorſumque tendens; interdum corpus incurvatum aegrum ſervare inducens; hinc nomen arquatus. Flavedo cutis magis augeſcit, icterum auctorum nigrum producens; ſudor lintea flavo colore tingens, tetrum corpus exhalat odorem; diarrhoea putrida; hydropes; hemorrhagiae, ex ore, naribus, inteſtinis, &c. omneque debilitatis ſymptoma ſuperveniunt; atque interdum hectica malis vitae aegrum morte eximit.—Hic morbus ullum haud fixum curſum ſervat, ſed majore vel minore cum progreſſu; paucis vel pluribus ſymptomatibus, comitantibus, prout cauſae excitantes, progreditur. Saepius miteſcit, iterumque magna vi redibit, atque bili in inteſtinis obſervata ſymptomatum allevatio mox inſequitur.

Diſſecando, bilem fere unicuique corporis parti, celluloſas, adipoſas, et membranas internas ſitas, aeque ac cutim invadere, et colorem ſuum impertire diſcimus; cerebrum atque ejus meninges, cartilagines, atque oſſa; quae quidem poſt morbum amotum tincturam quoſdam annos retinere, fuiſſent obſervata; etiamque foetus in utero Ictericae haud eximitur, oſſa cujus plane tincta, viſa eſſent *.

DIAGNOSIS.

Quoniam diagnoſis methodum medendi dirigere utilis; itaque maxima cura omni tempore, ad morbos accurate diſtinguendos, adhibenda debet. Morbi tam ſaepe commixti atque innixi ſymptomatibus anomalibus, ut ex ſpecie

* Vid. Bonet. Sepulch. Sect. xviii. Obſ. 34.

ſpecie ſola decernere fallax eſſet; et ad erroneum, forſan fatalem, medendi modum nos induceret. Verum hoc apparebit, quod unum idemque ſymptoma ex directe diverſis cauſis haud raro occurrit, atque modum medendi diverſum poſtulans. Itaque cauſis tam accurate exquirere debemus, quam cognoſci poſſint.

Icterus tamen, ut ex hiſtoria jam recenſita, ab aliis morbis facile dignoſcitur, non colore tantum, (etſi ſit morbi index maxime perſpicuus), nec tamen ſtatu alvi, nec faecum, nam haec varia, variis in caſibus; ſed ex quodam ſtatu urinae; atque ſymptomatum progreſſum attente obſervando, qualia ſint ſenſus atque dolores circa jecoris regionem, atque hi plerumque colorem oculi, &c. praecedentes.

In hac diſſertatione aliquid de ſymptomatico ictero dicere vix neceſſe erit; qui in quibuſdam

dam febribus locum tenet, praeſertim Occidentalis Indiae, quaeque tantum cauſa ex idiopathicis differunt; illas ſine obſtructione, ſed e contra, ex quantitate bilis in inteſtinis * aucta, oriuntes; quod raro in his evenit.

Ex flavedine, quae nonnunquam in puellis chloroſi adflictis apparet, diſcrimen facile invenimus; ſed quae ex cauſa valde diverſa producitur, bile non conducente, nec flavedo primum in tunica oculorum ſclerotica, atque inde ſenſim ubique augeſcens, percipitur; nec affectio hypochondrii ſentitur, vel tincta urina omnino cernitur; tametſi de anxietate epigaſtrica regione nonnunquam queruntur, tamen diagnoſin ſatis alia monſtrant.

CAUSÆ

* Vide Sir John Pringle.

CAUSÆ REMOTÆ.

1mo, *Praedisponentes.*—Hic morbus omnem aetatem, sexum, et crasin invadit; sed adulti et aetati provectiores, quique segnem vitam agunt *, gravidaeque foeminae sunt magis ei obnoxii. Regiones calidae et tempora, ad mire augendam et secernendam bilem rata sint; qua de causa in calidis regionibus multo frequentius morbus esse dicitur; frequens et immoderatus liquorum spirituosorum usus, jecur praecipue laedendo, ad hunc malum praedisponere putetur; itemque hemorrhoidalis et menstrui fluxus suppressio; atque post febres occurrere dicitur.

Hysterici,

* Hallerus scripsit, calculos felleos saepe se occurrisse convictis, qui in custodia diu tenerentur.

Hyſterici, bilioſi, quique violenti agitatione expoſiti, ſive ex animi affectibus, ſeu quovis violenti motu corporis, vel quibuſdam irritationibus adhibitis, qualia ſunt, draſtica cathartica, et emetica, huic morbo ſunt maxime opportuni. Omnia haec magis directas vel occaſionales cauſas excitare tendentia.

2*do*, *Occaſionales*.—Tranſitum bilis quidvis interrumpens, et liberam excretionem in duodenum impediens, cauſa frequentiſſima icteri haberi poteſt. Mortua diſſecando, talis obſtructionis origines variae ſeſe oſtenderunt; qualis concretiones biliariis ductibus inhaerentes; tumores jecoris et viſcerum vicinorum, ita ſiti ut ductus comprimunt. Morbi, obſervatio auctorum conſentiens calculoſas concretiones talis obſtructionis frequentiſſimas eſſe cauſas perlucide probat.

Calculi

Calculi hi raro in hepate ipſo inveniuntur, autem ſaepius in veſica fellea, et quamdiu illic, vel in ductu cyſtico remanent, raro, ſi unquam morbum exciunt, niſi caeteros ductus quoque comprimant; hoc videtur verum, quia ſaepenumero iis locis, haud comitante hoc morbo, detecti fuerunt. Quamdiu bilis tranſitus ex hepate ad duodenum liber remanſit, nec in hepate, nec in veſica fellea, quae ſola receptaculum redundantis bilis, ulla erit accumulatio. Bilis in veſica fellea ſtagnat, et inſpiſſata invenitur, atque ex maſſis grumoſis, calculoſae concretiones formari videntur; ſed de hoc paululum adhuc cognitum eſt *. Variae formae, coloris,

* Van Swieten narratur nobis, quod bilis immota maſſas concretas formabit. Sed M'Lurg nunquam ita invenit, nec tale in aliqua bile videbam, quam aliquamdiu ſervaveram. Cito cum acidis coagulare invenitur; atque M'Lurg opinatur, aliquod de acido ventriculi in contacto

loris, et craſſaminis, levitate ab aliis corporis calculis, atque oleoſa et inflammabili natura, diſtinctae ſunt *.

Ex variis agitationibus, &c. (ut ſupra memoravi) hae concretiones ex veſica fellea ejici, et per ductum cyſticum cogi poſſint, qui ductu communi minor raro detinentur donec ad ingreſſum poſterioris in duodenum deveniunt, ubi ex obliquitate facilius, etiam quavis in ſpiſſata maſſa obſtrui poſſint. Atque quotidiana experientia has cauſas frequenter obtinere edocit; nam maſſae grumoſae, aeque ac concretiones

contacto cum eo in ductibus venire; ſed vix poſſumus exiſtimare eam tranſire uſquam ad veſicam felleam. Forſan acidum corporis ſaccharinum quemvis effectum haberet; nam, quantitatem acidi ſacchari parvam addendo, praecipitatum ſpiſſum ad imum conſidere obſervavi.

* Vide Morgagni.

cretiones calculosae allevatione symptomatum icte-ricis exoneratae fuerunt.

Hydatides in abdominalibus visceribus, praesertim in jecore, haud raro formati, icterique causa evadunt *, hydatides hi in ductum hepaticum viam pandunt, et ad intestina acti sunt †; autem in transitu obstructionis saepe fiunt causa.

Glandularum distentio intus capsula Glysonis, et tumores ipsius jecoris, inter causas excitan-

* Vide Stark, part 1. ch. 1. § 10.

† Professor Monro ostendit hydatides mirae magnitudinis, qui cum faecibus evacuati erant, et dissecando corpus, biliariis ductibus distensis, ex hepate progressos esse reperiebat. Forte fortuna aegram violenter ictero affectam videbam, quae longo tempore, quotidie excrementis evacuavit, multos parvos hydatides fluidum flavum continentes, allevatione symptomatum.

tes enumerati fuiſſent. Autem hos non tam ſaepe conducere, quam ratum fuit, ex diſſectionibus diverſis apparet; granulis, tuberculiſque ſaepe jecore, ubi nullum ſymptoma ictericum praecediſſet, repertis. Praeterea, ex ingenioſis argumentis illuſtriſſimi Doctoris Monro *, talis ſaltem cauſae frequentiam, a priori, rejicere inducimur; nam tumores ejuſmodi venae portarum aliorumque ſanguiferorum ramulos comprimunt, priuſquam ductuum biliarium obſtruant, qui paſſim contigui, atque quodam modo grandium ſanguiferorum ramulis tecti ſunt; hinc veriſimile eſt, quod ſecretionem juſta ratione impediri oportet, priuſquam excretio ſupprimi poteſt; atque, icterum ex obſtructione hepatis, juſtam bilis ſecretionem impediendo, oriri poſſe, lucide atque ſine dubio, multis exemplis evertitur; nam, ictero haud producto, hepar ſcirrho, abſceſſuque omnino morboſum

* Vide Monro's works.

bosum invenitur. Tamen quomodo tumores praesertim concavae jecoris superficiei eodem modo quo viscerum vicinorum, ita siti, ut ductus majores comprimant, facile discernitur.

Tunicae ductuum ipsorum morbosae, atque cavitas eorum obliterata reperta fuit. Duodenum ita distensum vel irritatum, ut ductum contractare vel obstruere possit; vel parva, qualia sunt fructuum semina, in orificium ejus acta sint.

Spasmus ductuum, alias inter causas, locum principem tenere censetur. Sed quidam, haud observando muscularem tunicam, vel in vesica fellea, vel ductibus, hoc negaverint: Etiamque ex iis viventium animalium partibus, sine ulla sensibili contractione irritatis apparente *; tametsi

* Experimentis Doctoris Monro in Academia recensitis.

metsi hoc non omnino rem sine dubio ponat; quoniam aliae partes, ubi fibrae nullae musculares indagari possint, contractilitate sunt praeditae, tamen ex his talem spasmodicam contrationem non late locum habere opinamur; autem, ubi ductus in intestinum ingreditur, verisimile occurret. Hystericis in morbis interdum haec evenire potest, et ex irritantibus ad contractionem intestinum stimulantibus; atque hoc modo ductus orificium qui inter tunicas ejus oblique transit, obstrui potest; et omnia phaenomena, spasmo ipsorum ductuum attributa, producunt.

Paroxysmos recurrentes, allevationemque opio adhibendo, suppositione spasmi explicandum esse, ratum fuit: Sed paroxysmi recurrentes, calculis, atque etiam eodem calculo, induci possint *, *(Monro)*

* Hic illustrissimus Professor, icteri recurrentis iteratis paroxysmis

(*Monro*) et opium multis in casibus dolorem allevando, sit utile; atque aliter quam ex virtutibus antispasmodicis explicari potest. Quinetiam calculi impacti in cystico ductu dolorem angentem excitantes reperti fuerunt, ictero haud comitanti; irritationem in hoc casu, spasmum vicinorum ductuum, post inde icterum induxisse putaretur. Sed multa repugnant, neque Morgagni * observationes satis confirmaverunt.

Morbus

paroxysmis 4 annis casum memorat. Æger faeces per vannum semper evacuavit, sed nullae concretiones unquam cernebantur. Dissecando, calculus talis formae, qualis in uno situ inveniebatur, ut orificium ductus omnino obstruxisset; altero bilem transire sineret.

* Enumeravit casus icteri producti perturbatione animi; itemque dissectionem quorundam, qui subito mortui erant, nullo obstruenti viso, inde affertur spasmum esse.

Morbus (interveniente ſpaſmo) ab morſu viperino ortum duxiſſe, olim ratum fuit; ſed flavedinem hic productam, non de bili, autem ex quadam actione veneni animalis in ſanguinis ſerum oriri, nunc bene ſcitum eſt; ut ex colore a vulnere dato incipiente, non ubique apparente, nec ſeſe ſecretionibus oſtendente, apparet.

Ex quo in diagnoſi de ictero ſymptomatico, memoratur, vix neceſſe erit addere, ſecretione bilis aucta morbum interdum oriri poſſe *. Hic fluidus inſolita quantitate in inteſtinis fuſus, lactea ad recipienda, et in ſyſtema ducenda, ſtimulare poteſt; quodque res ita ſe habet, bilioſum vomitum et purgationem tales caſus comitantes obſervando, cernitur. Hic interdum ſit caſus, in ea flavedine, quae in infantibus poſt natum obtinet;

* Ictero ſymptomate, in febribus ubi faeces alvinae bilis ſecretionem non obſtructam demonſtrant.—*Home Prin. Med.*

obtinet *; licet abſorptione meconei ſaepius nitiratum ſit, atque veri icteri naturam non ſibi trahit †.

CAUSA PROXIMA.

Ex conſpectu de caſibus remotis jam dato, ad icterum producendum apparet, bilem in corpore detineri, atque etiam neceſſario, in maſſam circumeuntem admitti oportet; autem modus admiſſionis adhuc in dubio eſt.

Duae opiniones medicorum attentionem nuper traxerunt: Nam, ut ſupra dictum eſt, idea olim accepta; nempe, bilem in ſanguinis maſſa prius extitiſſe, atque ſolum ab hepate ſeparatam vel

* Icterus (infantum) in infantibus haud diu poſt natales oriens.—*Cullen. Syn. Noſ.*

† Vide Med. Eſſ. vol. 1. Edin.

vel coarctam esse; itaque ullam interruptionem vel praeventionem hujusce separationis, redundantiam morbum producentem praebere, nunc fere universe ab omnibus conceditur; nam nunquam probatum fuit, ullum fluidum naturae bilis in corpore extitisse cum viscus secernens officio fungendi incapax factum fuisset; et varia exempla jecoris omnino morbosi reperti, et omnis secretionis obstructae, ictero non producto, talem hypothesin satis diruunt.

Itaque una opinio quae universe accepta fuit, atque adhuc mente quorundam medicorum obtinet, bilem progressu ad intestina obstructam, in canalibus regurgitare oportet, et in ramulos venae cavae hepaticae cogi, vel adsumpsi, et ita in sanguinis massam duci; atque haec doctrina sine aemula in Academiis Medicinae, donec post systematis lymphatici detectio momentosa, locum tenuerat.

Sed

Sed quum usus eorum melius intelligerentur, alia idea se obtulit, viz. quoniam lymphaticorum usus absorbere sit, et quod jecur vesicaque fellea cum iis affluere, reperta sunt, bilem ab iis esse absorptam verisimile apparuit, atque hoc modo in systema sanguiferum ductam esse.

Haec absorptionis doctrina, non solum argumentis, sed etiam experimentis factis, illo praeclarissimo Physiologistico *Monro* potenter patrocinata fuit.

Argumentatio, (ex usibus lymphaticorum vasorum, quasi distincti systematis cognitis; quodque absorptionis officium in omnibus corporis partibus, per ea, et non per venas rubras, promovetur, nunc satis intelligitur; praeterea improbabilitas cujusvis in naturalis atque retrogradi motus occurrentis) huic opinioni clare favet.

Autem prior hypotheſis in baſin experimenti confirmaſſe rata fuit; enim injecta in ductum hepaticum viam in cavam pandiſſe inveniebantur; atque hoc bilis curſus ſatis plane putaretur. Sed injecta in venam portarum facilius intrabunt; atque *Doctor Monro*, quod in talibus experimentis vaſorum rupturam fieri, clare monſtravit; nam quod ora aperta vaſorum inhalentium injeci non poſſint, ſatis cognitum eſt.

Praeterea, in caſibus quam plurimis, ubi permanens icterus productus fuit, ductum communem cholidochum aſtringendo, ductus porique biliarii valde diſtenſi auctique inveniebantur, tamen communicatio minime magis aperta cernibatur, nec injectio minore vi tranſivit; atque animali vivente bilis in ſanguifera jecoris, preſſura non cogi poſſet, veſica fellea vel ductus vi diſtendenti primum ſeſe dederunt.

Adde

Adde insuper experimentum aliud, ab illo accuratissimo anatomico factum, quod mihi conclusum, et rem sine dubio ponere videtur: In diversis animalibus ligatura in ductum communem stricta ictero inducto; postea dissecando, bilem in lymphaticis, etiamque thoracico ductu, in magna copia, et colore et gustu distinguibilem indagare potuit. Quum itaque bilem esse lymphaticis assumptam, atque hoc modo ad systema sanguiferum missam, certe probatum est; Cur itaque dubitemus hunc morbum absorptione sola esse productam?

Quaedam praecipua argumenta ad stabiliendam hanc hypothesin memoratus, minoris momenti recensere, vel varia argumenta fautoribus harum opinionum adducta enumerare, certe inutile esset; pleraque quorum nugatoria, nulla eorum animum explent.

Nunc

Nunc igitur morbum breviter considerare, atque quo modo causae jam enumeratae, cum symptomatibus productis consentiunt, discernere procedendum est: Ex quo supra dictum fuit, praesentiam morbidam vero ictero propriam de quantitate bilis in sanguinis circumeuntis; cum sero ad secretiones progredientis atque in vasa cutanea porosque sese diffundentis, ex acri et stimulanti natura pruriginem efficientis, aiti apparet. Flavedo ex candore et pelluciditate tunicae conjunctivae primum in oculo cernenda.

Quibusdam in casibus, praesertim in ictero auctorum nigro, extravasatio tincti seri locum tenebit, atque ex fibrarum simplicium laxitate et debilitate fiet.

In canali alimentario defectus hujus necessarii solitique stimuli, constipationem speciemque faecum, quae vulgo occurrunt, explicat; atque subitus

bitus deſcenſus bilis, diarrhoeae, fuſcae anſam praebebit, quae ſaepe progreſſu morbi, atque fere cum allevatione, obſervatur.

Ventriculi vicinitas univerſaque ſympathia, inappetentiam, nauſeam, et caetera explicant.

In hepate quaevis obſtructio reſiſtentiam ſanguini in vena portarum atque vaſis cum iis conjunctis dabit, ita ut repletio eveniet; hinc oppreſſio, tenſio, laſſitudo, ſomnolentia, ſpirandi difficultas, et haemorrhagiae explicari poſſint *.

Dolorque in dextro hypochondrio et epigaſtrio vel ex diſtentione cyſti vel ex calculis in ductibus

* Dans tous les embarras du foie, les veines capillaires inteſtinales ſe laiſſent tellement engorger de ſang, qu'elles deviennent variqueuſes, et ſe rompent a' la fin: c'eſt la cauſe ordinaire des diſſenteries qui arrivent dans le cas des abſcés au foie.—*Pathologie de Monſ. Hevin.*

tibus conſtipatis oriri poteſt. In priore caſu dolor obtuſus; poſteriore magis acutus ſubituſque erit, diverſe tendens, interdum febri ardenti crebriſque intermiſſionibus; ſubitus paroxiſmus deſcenſum calculi ex cyſto notat, atque diſtentio dolorque magnitudini calculi conveniunt; ductibus magis relaxatis, curvato corpore, aeger levamen quaerit, pleraque alia ſymptomata, talia vigilia, ardor auctus, ſitis, &c. de irritatione et inflammatione producta nitentur.

PROGNOSIS.

Etſi hic morbus plerumque periculoſus non eſtimetur, tamen prognoſis ſemper eſt incerta. Obſervare vix neceſſe eſt, (caeteris paribus) adoleſcentibus eiſque ſanis et vegetis magis ſuſpicata erit; periculumque ex violentia atque duratione

tione cauſarum praecipue vereatur; conjecturae igitur ex his cauſis cognitis inducendae ſunt; ſi calculi exiſtere rati ſint, expulſionem ſperare poſſumus, autem haud ſine timore talem cauſam renovari; diarrhoea bilioſa occurrens eſt ſymptoma felix, obſtruentis amotum denotans. Si ex acceſſione morbi gradatim aliiſque locus ſit nobis ſchirroſos tumores viſcerum, ſeu, ductus morboſos obliteratos, ſuſpicandi; vel ſi hydropes, hemorrhagiae, diarrhoea colliquativa, vel ſudores, &c. ſuperveniunt, ſpes noſtra nimis alacris diagnoſin benignam praebere non poteſt.

RATIO MEDENDI.

Ex natura hujus morbi, ab cauſarum varietate pendentis, plerumque parum cum generali

ſyſtemate,

ſyſtemate, vel inter ſe conjunctarum, unam eandemque medendi rationem non ſemper ſervari, lucide apparet; curandi modus igitur, ex ſcientia excitantium et occaſionalium cauſarum accurata, adhiberi debet: quae cauſae genere differentes, diverſum tractandi modum de re exigent.

Duae tamen generales indicationes proponi poſſint, quarum eſſet,

1mo, Occaſionales et excitantes cauſas amovere;

2do, Magis urgentia ſymptomata allevare; autem haec poſterior primum ſaepe arte egebit. De priori obſervetur, quoniam hic morbus quadam ex obſtructione excretionis bilis maxime oriri invenitur, attentionem praecipuam adhiberi oportet, ut cauſam obſtruentem certe inveniamus;

inveniamus; videtur atque, ex obſervatione et experientia, calculoſas concretiones in ductibus infarctas frequentius operam dare, et praecipue ſuſpicandas. Expulſio earum igitur promovenda ſit, vel,

1mo, Mechanice, uſu emeticorum, cathartico-rum, exercitationiſque bene moderato; vel,

2do, Chymice, uſu ſolventium interne adhibendo.

Ratio prima praecipue conſideranda atque confidenda. Ad hanc rem, agitatio corpori actione emeticorum impertita, multum laudata fuit, quaſi calculum antrorſum in duodenum cogens; autem ſine dubio hoc modo ſaepe utilia fient; forſan quoque corpore neceſſarie ductibus relaxatis, poſt actionem, calculi deſcenſui favent; tamen caute utenda, atque ſo-

lum repetenda, prout utilia vel neceſſaria videantur; nam, ſi nimis pertinaciter adhibita, quae amovere data, arctius ſtipare poſſint.

Draſtica cathartica fuerunt etiam commendata, quod inteſtina et ductus ſtimulando expulſionem ambiunt, atque excretionem obſtruentis promovent; ſed mitiora plerumque ſufficient, etiamque haec frequentius non repetenda, propter debilitantes effectus.

Remedium eſt exercitatio, cautione minore admittenda, atque non minore beneficio. Sanguinis miſſio, prout aegri vires admittere queant, fomentationes, injectiones emollientes, atque regimen refrigerans, erunt commoda, quod ductus relaxare conducunt, et calculi deſcenſui favent, praeſertim ſi dolor tenſioque adſint: Hoc autem ſecundae rationis partem producit, dum auxilio primae ſit.

De

De ſecundo modo propoſito, liberare ab his calculis, multa medicamenta quaſi ſolventia laudantur; talia ſunt, ſapones, alkalina, aqua calcis, aër fixus, ſuccus graminis, &c.*. Atque multa ab auctoribus fautoribuſque horum fuerunt dicta. Sed experientia candida, haec omnia aeque ſine effectu inveniri edocuit, niſi *quomodo* purgativa ſint. Atque equidem difficile eſt reri quomodo medicamenta, poſt circuitum tranſiſſent, ad ductus biliarios pervenire, atque ita agere in calculos, ut diſſolvere poſſent, eodem modo, quo ex corpore perficere rata fuerunt.

* Monſ. Durande, Medicin de Dijon, a éprouvé qu'un melange d'ether et d'huile eſſentielle de térebinthine rectifée pris tous les jours a la doſe d'un gros, par deſſus on fait boire quelque petit lait, procurent ſouvent la diſſolution et la ſortie des pierres biliaires. C'éſt un veritable ſavon dont nous avons vû des experiences heureuſes.

HEVIN.

runt. Jecoris et viſcerum vicinorum tumores, qui interdum cauſa obſtructionis ſunt, ex propriis generibus tractandi; ſi generis inflammatorii febrem, &c. excitantes, ſanguinis miſſione et regimine antiphlogiſtico ſunt tentandi: Autem, ſi lenta acceſſione et duratione, ſuſpicari ſcirrhos, vel ductus obliteratos cauſam habeamus, etſi parum expectetur tamen horum medicamentorum periculum fiat; mercurialium, cicutae, minerales praecipue chalybiae aquae, quae ſimilibus in caſibus laudata fuerunt.—Si quantitas bilis aucta in inteſtinis cauſa fuiſſet, conandum eſt quam maxime ſecretionem tardare, determinationem ad alias corporis partes, nempe ſuperficiem, reneſque promovendo, atque hoc minimis ſtimulantibus. Emetica exercitatioque ſunt fugienda; atque purgativa leniſſima tantum admittenda. Infantibus levis evacuatio ſemel vel bis adhibita, manna, magneſia, vel ſimilibus, fere effectum producent.

2dae indicationi partim obviam itur, distentionem sublevando et dolorem, atque symptomata febrilia sanguinis missione si necessaria repetita; Fomentationibus ad regionem hepatis, opiatis, &c. Arida prurigo cutis sudorificis allevatur; autem mitissima tantum adhiberi debent, talia sint balnea tepida, &c. Symptomata ex bilis inopia in intestinis producta, viz. alvus astricta, indigestio, &c. amaris et lenibus laxativis allevari debent: Sapo aloeque commixta, quia quomodo naturae bilis conveniunt, multum laudata fuerunt; atque non tantum quasi amarum et purgativum, sed etiam quasi menstruum ad commiscendum oleaginosas atque aquosas alimenti partes efficient, atque ita chyli-factum promovent.

Omnia diversa medicamenta, quae huic morbo utilia commendata fuerunt, enumerare haud necessarium opinor; pleraque quorum Empiricis

cis originem duxerunt, atque attentionem non merentur. Quum primum morbus amoveatur, vires aptis tonicis sunt restituendi; praedispo-nentes causas fugiendo, reditus praecavendus est.

FINIS.